AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA
MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS
Medicorum die Martis 14. Ianuarij, D. Nicolao Ellain doctore Medico, moderatore.

An solus sanguis alimentum vltimum?



TRIPLICIS *nostræ substantiæ fluor perennis, eiusdem resarciendæ necessitatem inuexit: spirituosa aëre, humida potu, solida cibo, nulla tamen eadem, reparatur: horum vsus ad vitæ munia tuenda est necessarius: spiritus quippe totus euanesceret, nisi tam cerebri & cordis inspiratione, quàm omnium partium transpiratu simili substantiâ restitueretur: enimuerò tanta est respirationis necessitas, vt pisces sine eâ non viuant. Seruus barbarus respiratione sponte cohibitâ interiit. Corœlius Rufus voluntariâ quatridui à cibo potúque abstinentiâ decessit: illinc apoplexia eodem die, hinc inedia septimo lethalis.*



AER *inspiratione haustus primam in pulmone elaborationem sumit, diligenter elaboratus in sinistrum cordis sinum arripitur, & interioris spiritus fit pabulum conueniens. Potus non in pulmones per asperam arteriam affatim illapsus, sed ab ore per stomachum attractus, vt ad humidi instaurationem est necessarius, ita confert ad concoctionem, & cibi distributionem. Qui eádem attrahente facultate à ventriculo allicitur, illícque totâ suâ substantiâ mutatur, non putredine, sed coctione, veterémque naturam exuit in aliam transiens speciem. Cibus, qui experimento potiùs, quàm ratione, constat, quò debilior est, eò verius præstat alimentum.*



ALIMENTVM *aliud nutriturum, aliud quasi nutriens, aliud nutrit. Remotâ potentiâ nutriunt, quæcunque nostræ substantiæ possunt assimilari, ad quam quò propiùs accedunt, eò meliùs nutriunt: quæ ab illâ longissimè distant, alimenta non sunt, vt metalla. Alimentum quasi nutriens est dulce, cuiusmodi sanguis, & ros per carnem dispersus generationis nostræ principiis finitimus. Id demum propriè nutrit, quod in nostram substantiam est commutatum.*



VT *coctionis, sic materiæ ad triplex illud alimentum idoneæ, tres sunt gradus: cibus ventriculo ad* χύλωσιν, *chylus iecori ad* αἱμάτωσιν, *sanguis ad* ὁμοίωσιν *&* ἕνωσιν *singulis partibus suppeditatur, qui solus calidus humidus & dulcis: ex eo copioso & laudabili* εὐεξία: *ex pauco* ἀτροφία: *ex malo* καχεξία, *cui & hæc succedit. Proinde natura sanguinem sibi familiarem studiosè conseruat, & in* ὑπερκαθάρσει *omnium postremum sinit effluere.*



VENÆ, *in quibus caloris tepore sanguis non conseruatur, eum per vniuersum corpus deferunt ad omnium partium nutritionem. Neque ex solis vasorum osculis, verùm etiam per quæque venarum foramina alimentum illabitur in carnem, aliásque particulas: & quæ inter venas media interponuntur spatia, etsi ductus non habeant in se directos, alimentum tamen ex sanguine suscipiunt copiosum. Vnde fit vt ex quâcunque parte punctâ sanguis effluat. Ac ventriculus sanguine nutritur, non chylo, cuius conficiendi nulla in fœtu opportunitas: in quo principium alimenti per abdomen vmbilicus. Quin etiam ossa nutriuntur solo sanguine, à quo recedunt interuallo longiore.*

Ergo solus sanguis alimentum vltimum.

Ponebat SIMON LE TELLIER, Meduntanus Carnutensis. anno 1597.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Paulmier.
M. Petrus Ponson
M. Anthonius Quiquebeuf.

M. Iacobus d'Amboyse Med. Reg.
M. Iacobus Cousinot.
M. Petrus Seguin Prof. Reg.

M. Michaël Marescot. Med. Reg.
M. Ludouicus Thibaut.
M. Albertus le Febure. Med. Reg.